

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,  
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro duina proximiq[ue] charitate precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

tissimè sitiam, quæram & promoueam. Da mihi, ut omnium hominum salutem, profectum & commodum atque consolationem ex toto corde diligam, quæram, & promoueam ad gloriam tuam.

Misericordissime Iesu aufer à me omnem amaritudinem, liuorem, iram, malum rancorem, indignationem, suspitiones, inuidiam, & quicquid syncerissimæ charitati aduersatur, ut de omnibus hominibus in simplicitate cordis benè sentiam, neminem temere iudicem, vniuersos piissimè dulcissimò affectu cordis in te diligā, & quomodounque tibi placuerit miserationis, beneficentie, dulcedinis, benignitatis, atque dilectionis affectu verba & beneficia, cunctis, maximè autem illis, qui mihi iniurias aut molestias intulerunt, toto corde impendam.

Piissime Iesu, da mihi, ut diligam omnes inimicos meos perfectissimè non verbo aut lingua tantum, sed opere & veritate. Dulcis Iesu, omnem acceptionem personarum longè fac à me, ut in omni creatura purè te diligam, & tui imaginem in omni homine honorem, Amen.

*Pro diuina proximiq; charitate, precatio.*

**A** Mantissime Domine Iesu Christe infunde cordi meo perfectissimam, perpetuam atq; ardentissimam charitatem, quæ omnem à te alienum amore, omnes virtuosos affectus, omnes inordinatos animi motus, omnem liuorem, amaritudinem, iram, odium, & quicquid diuinæ charitati aduersatur, in me occidat atq; radicatus euellat.

Dulcis Iesu, per immensam charitatem, quam ad nos habes, obsecro te, reple me hac eadem diuinissima virtute: & largire mihi ut nunquam inueniatur in me quidquam quod hanc à me exturbit. Absorbe me ignita vis dilectionis tuz, ut in te & propter te diligam proximum meum sicut meipsum, & sicut tu dilexisti nos. Te verò amem Deus meus, lumen oculorum meorum, consolatio, refugium ac dulcedo animæ meæ, propter temeripsum in omnibus & super omnia, Amen.

*Pro diuino amore, precatio.*

**E** la rubens rosa flagrantissimæ charitatis Domine Iesu Christe, obsecro te per virtutem illius amoris, qui tuam nobilissimam animam à tuo corpore separavit, da mihi amorem, qui me totum liquefaciat in memoria præiosæ ac amoris mortis tuz. Da amorem dulcis Iesu, qui me tecum vniat inseparabili & felicissima vniione. Eia Iesu meum desiderabile bonum, da ut tua saluberrima mors viuificer me ad vitam planè laudabilem, in tua amorosa mortis compensationem. Eia Iesu amantisime, da mihi intentionem, quæ in omnibus te querat & super omnia laudet, da mihi deuotionem indeficientem, quæ tuam semper & in omnibus desideret atq; perficiat laudabilissimam voluntatem, Amen.

*Pro diuino amore, precatio.*

**T**ransfige dulcissime Iesu Christe medullas animæ meæ suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere. Perfora & configa omnia viscera animæ meæ, vera, superna, igneaq; charitate, ut languageat & liquefiat anima mea semper castissimo amore, vchementissimò tui desiderio. Cōcupiscat te Saluator è suum & deficiat in atrijs tuis Domine. Non delictet eam vltius huius fallacis mundi vanitas, non eam villa prosperitas eleuet, nec aduersitas conturbet. Tu Domine sis illi diuitia &

e 2 gloria,